Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 155
Quelle:
Copyright:

um epiſtolas premittit ſalutacionem, in qua commendans ſuam perſonam &c. Finis *ad Philem.* vero: *Hic intelligitur a roma ſcripſiſſe. Gratia ſit cum omnibus vobis.*

Amen. ſolamen ſit ſancti ſpiritus. amen.

Autor nullibi proditur.

CVI.

R. 37 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 102. f. min. nitidiſſime exaratus, columna media anguſta laxa ad recipiendam inter lineas gloſſam, margine utrinque lato notis inſerviente, rubricis et literis initiorum cubitalibus deauratis, picturatisque venuſtus, et olim *Congregationis S. Juſtine de padua deputatus uſui fratrum ſancti ſeuerini de neapoli*, ſed a Furcifero quodam improbiſſime habitus exſectis hinc inde, vel accisis foliis, continet *D. Pauli Apoſtoli Epiſtolas* cum utraque *Gloſſa, ordinaria* videlicet et *interlineari.* Deperiit Epiſtola I. *ad Corinth.* a C. VII. v. 22. II. tota, *ad Galat.* tota, *ad Epheſios* usque ad C. III. v. 18. Acciſae ſunt Ep. *ad Philipp.* a fine, *ad Coloſſ.* a principio; neque reliquis in totum pepercit inſana ſtupiditas puerili, ut videtur, literarum auro coloribusque ſplendentium amore capta. Ita huic, quemadmodum multis aliis Codicibus, querelam illam adcommodes: *Forma fuit damno!*

CVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 561 XIII. Folior. 42. 4. min. eleganter lineis laxis in medio paginae ſcriptus, gloſſarum adparatu minuſcule exarato utrinque latera ſtipante, et etiam inter lineas recepto, quondam *Joh. Fabri* Praeſulis noſtri, *Apocalypſeos* Exemplum eſt, quod *pag.* 2. orditur, Prooemio *pag.* 1. occupante. Atque iſtud incipit: *Apocalypſis hec inter reliquos noui teſtamenti libros prophetia uocatur. ſed aliis excellentior prophetiis* &c. quae totidem verbis legas in *Bibliis gloſſatis*, unde etiam reliquae Gloſſae per Operis decurſum magnam partem depromtae ſunt, et ita ad *Walafr. Strabum*, *Anſelmum Laudun.* et *Nic. Liranum* pertinent. Sunt vero quaedam etiam aliunde adcita, ut ex L. VI. *Ambr. Ansberti* in *Apoc.* qui habetur *Bibl. PP. Lugd.* T. XIII. nomen *Genſerici* ſcriptum literis graecis Γενσηρικος habens numerum Beſtiae, id eſt DCLXVI. Ad calcem additur primo: *De Etatibus Hominis* Obſervatio: *Gradus etatis*

VII.